



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

113. Cujus sit constituere Viacrium temporalem beneficiale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

citio curæ instituti. Lott. l. 3. c. 27. n. 159. & dicuntur habere beneficia curata. Garc. p. 9. c. 2. n. 289. Proinde non tantum dispositiones omnes, quæ de beneficio mentionem faciunt, procedunt in Vicariis perpetuis. Barb. cit. n. 18. Garc. loc. cit. n. 286. Card. de Luca de Parochis. d. 21. n. 7. loquens de Vicariis erectis in titulum perpetuum; sed etiam, quæ de beneficio curato disposita sunt; Garc. ibidem. Barb. n. 20. citans Paris. l. 3. q. 1. n. 115. Gonz. Rebuff. Navar. &c. Atque ex his jam inferitur, si hæ Vicariæ regulentur jure communi beneficiorum, posse non secus ac quodlibet aliud beneficium in favorem resignari; Corrad. l. 3. c. 9. n. 4. citans Hojed. de incompat. benef. l. 1. c. 15. item permutari prout hoc in praxi receptum testatur Paris. l. 2. q. 1. n. 112. apud Corrad. loc. cit.

2. Respondeo secundò: Vicariæ temporales, etsi curatæ, beneficia Ecclesiastica non sunt, nec tituli beneficiales. Barb. loc. cit. n. 58. Garc. p. 1. c. 2. n. 93. Corrad. l. 3. c. 9. n. 29. cum communi: beneficiarii itaque non sunt Vicarii Ecclesiarum curatarum ad nutum laicorum amovibiles. AA. iidem, de Luca de benef. d. 80. n. 20. & seq. Neque etiam ab Ordinario deputati pro parochiali usque ad provisionem. Neque deputati usque ad tempus Rectoris; neque Ecclesiarum parochialium annexarum Episcopo, Capitulo, dignitati &c. utpote amovibiles. de Luca de benef. d. 8. n. 16. Atque ex his jam sequitur, non regulari istiusmodi Vicarias jure beneficiis; ac proinde non requirere collationem seu institutionem. Corrad. n. 28. non intrare in iis regulam de annali. Barb. loc. cit. n. 59. citans Mandos. in reg. de annal. q. 13. n. 1. Nec comprehendendi in reservationibus. Barb. ibidem. citans Hojed. Gregor. &c. nec ratione Vicariæ obligantur ad horas Canonicas, nisi in casibus aliquibus; sed de hoc infra; Nec denique gaudent prerogativis & emolumentis, quibus gaudent Vicarii perpetui. Barb. n. 16. citans Gonz.

Questio 112. In quibus, seu ex quibus casibus à jure approbatis constitui possit Vicarius temporalis?

Respondeo ex sequentibus: Prima: dum quis legitime habet plures Ecclesias, in quibus inservire & residere nequit, inserviet per se ipsum in una, in aliis Vicarium constituere compelleretur. Barb. loc. cit. n. 52. Secunda: ob negotia, quibus ipse Rector ratione muneris sui distinetur; quo jure Episcopus plures Vicarios instituit. c. ad hac. de offic. Archid. Barb. ibidem. Tertia: ratione peregrinationis ad pia loca, præsertim ad terram sanctam. Barb. ibidem. citans c. fin. de voto. Quarta: ratione agritudinis corporis, & valetudinis incommodæ, ut constat ex toto titulo de clerici. agrot. Barb. ibid. Quinta: ratione iustæ absentiae Rectoris approbata ab Episcopo. c. relatum. de cler. agrot. Barb. ibid. citans Ugolin. de off. Episcopi c. 54. Sexta: ratione diversæ nationis, cui Rector præficitur, utentis diversâ linguâ ab idiomate Rectoris. c. 5. de off. Ordinar. Barb. loc. cit. Septima: dum Rector remouetur à ministerio vel officio, vel loco. c. ad audientiam. de Eccl. adif. Barb. n. 53. Ugol. loc. cit. Octava: dum Rector fit religiosus, & versatur in Novitiata. c. de Monach. de præb. Barb. ibid. Nona: ratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, majorisque incrementi cultus divini c. illud. & c. nihil. 7. q. 1. Barb. loc. cit. Decima: ubi Ecclesia dispensativè

conceditur alicui in minore ætate constituto. c. 2. de ætate & qualitat. vel ubi parochus ipse nondum sacerdos est. Barb. loc. cit. Undecima: quando beneficium simplex alteri cuiuspiam iungitur; tum enim solet constitui Vicarius non perpetuus. Barb. n. 54. citans Azor p. 2. l. 6. c. 29. q. 1. Duodecima: dum Vicariæ perpetuæ uniuntur, tunc ad nutum possidentis instituitur Rector. Barb. n. 55. citans Hojed. de incomp. p. 1. c. 15. n. 6. Gamb. de off. legati in uniendo. n. 102. Decimo tertia: in vacatione Ecclesiæ parochialis, donec de Rectoré provideatur. Trid. sess. 24. c. 18. Barb. n. 56. Ac denique dum beneficium est unitum mensæ Episcopi vel Capituli, constitui potest Vicarius temporalis. Barb. n. 54. citans Gloss. in Clem. 1. de excess. præl. & in Clem. 1. de supplend. negl. præl. Quod ipsum tamen distinguit Lott. l. 1. q. 33. num. 93. juxta dicta & præced. ita ut Ecclesia Collegiata, præcipuè regularium, quæ habet parochialem pleno jure sibi subiectam, de jure communi non teneatur curam exercere per Vicarium perpetuum, sed possit exercitium alicui committere amovibiliter; Ubi verò non habet parochialem pleno jure subiectam, sed titulo tantum simplicis unionis, teneatur administrare curam per Vicarium perpetuum ex dispositione c. exsirpanda. de præb.

Questio 113. Cujus sit constituere Vicarium temporalem beneficialem?

Respondeo primò: Ecclesiâ parochiali vacante, deputare pro ea Vicarium, donec ei de Rectoré provideatur, spectat semper ad Episcopum; vel sede vacante ad ejus sedis vacantis Vicarium. Garc. n. 10. (in cujus diocesi sita est parochia, Trid. sess. 24. c. 18. Barb. n. 56. Lott. l. 2. q. 31. n. 12. etiam ubi illius collatio spectat ad alios. Garc. p. 9. c. 2. n. 10. Unde id non poterunt inferiores, etiam si exempti, nisi habeant statum nullius diocesis, adeoque obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem, sitque in usu cogendi Synodos, deque his omnibus constat. Lott. ibidem. n. 13. Garc. loc. cit. n. 8. Leonis. in thesaur. Fori Eccl. p. 2. c. 18. n. 52. Barb. loc. cit. uti & de potest. Episc. p. 3. alleg. 6. num. 3.

2. Respondeo secundo: in casibus tamen repentinis, si Vicaria est ad præsentationem alicujus Collegii, illud quamprimum constituere potest Vicarium ad custodiam, donec Episcopus sit factus certior & providerit. Garc. loc. cit. num. 11. dicens hanc esse declarationem quandam sacre Congregationis ad c. 18. sess. 24. Trid. non tamen, quòd collegium in eo casu dare possit jurisdictionem aliàs non habenti, & approbationem ad Sacramentum penitentiae administrandum; sed quòd possit illum ponere tantum ad custodiam. Porro quid velint sibi verba ista Trid. loc. cit. si opus fuerit (semper enim opus erit constitui Vicarium tantisper, ne cura animarum patiat) declarat S. Congregatio apud. Garc. loc. cit. n. 13. nimirum posse contingere, ut in istâ Ecclesiâ vacante adessent alii ministri Sacramentorum; qui interea curam quoque illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent; vel etiam, ut vicini parochi libenter illud præstarent; vel quia, dum nemo hoc onus subire vellet, constitui possint aliqui mercenarii diurni vel hebdomadarii, qui id facerent; adeoque in his & similibus casibus opus non esse institui alium interea Vicarium.

3. Respondeo tertio: de cetero nominatio & deputatio Vicariorum ad nutum amovibilium in Eccle-

Ecclesiis vel beneficiis unitis pertinet ad Capitulum vel ad Prælatum monasterii, cui ea unita sunt, & Episcopus solum debet approbare, & admittere, daréque licentiam administrandi Sacramenta, ubi idoneus reperit Vicarius, absque eo quòd ulla alia requiratur collatio vel institutio. Barb. *loc. cit.* num. 63. citans Garc. p. 1. c. 2. n. 93.

Questio 114. An nihilominus, & quando possit Episcopus in tali parochiali, etiam quæ pleno jure subditur Collegiata, vel monasterio, deputare Vicarium perpetuum?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè: Corrad. l. 3. c. 9. n. 16. idque vi Trid. *sess. 7. c. 7.* statutis, quòd Ordinarii deputare possint Vicarios perpetuos in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur Ecclesiis Cathedralibus, Collegiis, vel monasteriis, non obstantibus privilegiis. Hisce comprehenduntur monasteria quæcumque etiam exempta, & Ecclesias quomodocunq; iisdem, eorumque mensis unitas, docet ibi Corrad. citans pro hoc Barb. *de potest. Episc. alleg. 71. n. 100.* Item procedere etiam si in literis unionis expressa sit clausula; ut possint deservire per Vicarios amovibiles; si literæ ante Concil. Trid. emanarint; secus si post illud. Garc. p. 11. c. 2. num. 9. Flores de Mena. *Variar. qq. l. 1. q. 10. n. 36. & seq.* quos citat & sequitur Barb. *loc. cit.* n. 3.

2. Respondeo secundò: nihilominus, ut ex ipsis Concilii verbis intelligitur, requiritur, ut Episcopus id faciat in visitatione; ita ut videatur non dari Ordinario hac jurisdictione à Concilio, nisi in visitatione. Corrad. *loc. cit.* n. 18. ex Garc. p. 11. c. 2. n. 12. saltem dum beneficia unita sunt monasteriis & locis regularibus & exemptis. Barb. *loc. cit.* n. 4. citans pro hoc Flores de Mena. *num. 47.* Navar. *de stat. Monach. conf. 11. nu. 7.* Item requiritur justum arbitrium Episcopi, five ut intercedat justa causa; poterit enim aliàs ab istiusmodi perpetuitate Vicarii appellari; cum aliàs dictum Concilium, nempe *sess. 25. de regular. c. 11.* concedat, quòd possint Vicarii temporales deputari, & tantum id remittat Ordinarii arbitrio; ut si viderit expedire, deputet Vicarium perpetuum. iidem AA. Corrad. *num. 19. & 20.*

3. Respondeo tertio: de ceterò non posse Episcopum in vim Trid. deputare Vicarium perpetuum in sequentibus casibus; quos enumerat Barb. *loc. cit.* n. 6. & seq. Primò: dum à tempore immemoriali unico facta est, & ex tunc constat Vicarios fuisse ad nutum amovibiles scientibus & consentientibus Ordinariis, & nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum. citatur à Barb. pro hoc Flores de Mena *loc. cit.* n. 44. Sanch. *in decal. l. 7. c. 29. n. 191.* Putat nihilominus Corrad. l. 3. c. 9. n. 6. derogare Concilium istiusmodi consuetudini immemoriali, citans pro hoc declarationem S. Congregationis ejusdem Concilii. Secundò: dum unio facta est per viam pacti & concordia à Sede Apostolica cum clausula: *deserviendò beneficio per Vicarium amovibilem*; citantur pro hoc AA. iidem. Tertio: dum beneficium unitum est monasterio monachorum aut mendicantium. Sic enim restrinxisse dicitur Pius V. decretum illud Trid. in motu quodam proprio incipiente: *Ad exequendum pastoralis officii debitum. &c.* sub dato Kalend. Novemb. Anno 1567. quem refert Quaranta in summa Bullarii. apud Barb. *loc. cit.* n. 9. cui derogatum non fuit P. Leuren. *Fori Benef. Tom. 1.*

per constitutionem Greg. XIII. incipientem: *in tanta rerum &c.* nam præterquam, quòd hac constitutio tantum procedat, quoad Vicarios parochialium unitarum monasteriis; Idem Gregor. postmodum oretenus (ut testatur Campanil. *in divers. juris can. rubricas. l. 7. c. 6. n. 121.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. n. 79.* apud Barb. *loc. cit.*) revalidavit dictam Pii V. constitutionem cum hac limitatione: modo cum religioso illo designando in Vicarium amovibiliter unus duntaxat alius religiosus extra claustrum maneat. Quartò: dum ex privilegio renunciationis causà concessio beneficium esset unitum cum clausula ponendi Vicarium ad nutum amovibilem; quia in generali privilegiorum derogatione, qualem ponit Trid. *cit. c. 7.* non comprehenduntur privilegia remunerationis gratiâ concessa, multis probant Flores de Mena & Sanch. *loc. cit.* apud Barb. n. 10. Quin dum pro bono pacis & cessatione litium, rectèque beneficii administratione expediret nihil innovari, sed institui Vicarium ad nutum amovibilem; Trid. enim, ut dictum est, non emisit id liberæ voluntati Episcoporum, sed iusto arbitrio eorum; AA. iidem, & Barb. n. 11. Sextò: dum ex privilegio pontificio post Trident. concessio unitum esset beneficium parochiale cum clausula, instituendi Vicarium ad nutum amovibilem; cum enim Trid. derogans privilegiis c. 7. non potuerit restringere potestatem Pontificiam, loquitur tantum de privilegiis ante id decretum concessis. Barb. n. 12. citans Garc. p. 11. c. 2. n. 5. Flores de Mena. *loc. cit.* n. 49. qui tamen posterior n. 50. exigit privilegium illud ex certa scientia aut motu proprio, aut cum expressa Trid. derogatione concessum; ut id intelligitur, dum ex verbis privilegii constiterit, hanc mentem fuisse Pontificis, & in dubio præsumendum, cum illud decretum Trid. satis sit notorium, qui etiam n. 51. observat, in his ipsis casibus, in quibus non est integrum Episcopo constituere Vicarium perpetuum, teneri tamen curare, ut beneficio bene deserviat; aliàs adhuc posse eum constituere in illo Vicarium perpetuum; cum privilegium ob ejus abusum amittatur.

Questio 115. Quando nam constituendi Vicarii perpetui?

Respondeo: si questio procedit de tempore, Vicarios perpetuos constitui non posse, priusquam erecta Vicaria perpetua: Hinc etiam, ubi Ordinarius voluerit in executionem dicti decreti Trid. Vicarios temporales in perpetuos mutare, debet prius erigi Vicaria perpetua; cum Vicarii perpetui tunc non possint institui absque erectione tituli Vicariæ, qualis titulus beneficalis antè non erat, dum constituiebantur absque omni collatione & institutione Vicarii ad nutum amovibiles. Corrad. l. 3. c. 9. n. 27. Barb. *loc. cit.* n. 4. Garc. *loc. cit.* p. 15. Ac proinde non poterit Episcopus procedere ad dictam erectionem & positionem Vicarii perpetui, nisi citatis & auditis partibus. AA. iidem. neque etiam non nisi in visitatione. Corrad. n. 19. ex Garc. n. 12. citante pro hac declarationem S. Congregationis. Porro sic factam erectionem de Vicaria amovibili in perpetuum per Episcopum non alterare unionem jam factam quoad exercitium curæ, ait Barb. n. 13. Pergitque monasterium, cui unitum tale beneficium erat, nominare seu præsentare Vicarium perpetuum instituendum ab Ordinario. Corrad. *loc. cit.* sub n. 31. in formula erectionis istius-

D

modi